

Illi^{me} ac R^{me} Dne

Ad me perlatae sunt litterae Ill^{mae} Dom. Vrae, mense Octobris scriptae, quae sicut magnam mihi consolationem attulerunt quod virtutus procuratori meo tradenti litteras meas non subscriptas nomine meo fidem adhibere voluerit, ita dum asserit librum se compo- suisse ad refellendum Widderintonum, tum animi robore maiori in hac nostra causa tuenda confirmor, tum permagna etiam afficio laetitia. Placuit nobis liber vester adversus Berclaium scriptus. Utinam et iste quoque ad nos tandem perveniat, quo Widderintonus et ille, quem nos omnes suspicamur librum illum conscripsisse triumphare desinant. Gloriantur enim nondum esse promulgatam responsionem, ac si vobis evictis, ab illis reportata esset victoria. Nuper etiam iunior Berclaius librum edidit pro defensione parentis, quod etiam similiter fecit nobilis quidam Anglus nomine Barretus, de iure regio. Plurimi insuper sunt religiosi, tum sacerdotes seculares, tum maxime omnium et ipsi laici dilationem Apostolicae sententiae adversus huiusmodi libros admirantur, quam cum tanto fidei praeiudicio, multorumque offensione fieri cernunt, verentur ne dolosa aliqua detur informatio nostram causam penitus subvertens, utpote quae ingenio et simulatione potius nitatur quam iustitia, et veritate. Affligimur quotidie ob non praestitum iuramentum, idemque a magistratu tam crudeliter exigitur, ut quamplurimi pro suis bonis conservandis, nullum omnino peccatum in eodem praestando arbitrentur perpetrari. Atque ideo confessariis non paucis renitentibus, praecipites ruunt in contemptum brevium apostolicorum, et nisi rationes a Sua Sanct^e adhibeantur, quibus prohibetur, multa in praefato iuramento contineri quae fidei adversantur, iuxta tenorem eorundem brevium insipienter sibi persuadent se posse tutam conscientia iuramentum illud suscipere. Placuit (ut videtur) Ill^{mae} Dom. Vrae honorificentius sentire de laboribus meis, quos quidem ego non recusarem, si ea authoritate, quam ex corde veneror, (non

fulcitus) fulciri merear. Quia enim nullam nacti sumus potestatem nisi in foro conscientiae erga laicos catholicos, ipsi eam quam iam habemus potestatem spernere non curant. Et haec una ratio est, quia maxime utantur sacerdotes nostri suppliciter summum Pastorem obsecrare, ut episcopi prout iudices ordinarii nobis concedantur. Haec quidem Ill^{mae} Dom. Vrae tanquam uni ex principibus ecclesiae suggestere visum est, ut pro sua prudentia, et eruditione quibus alios praecellit praefatam nostram supplicationem apud suam Sanct^{am} promovere dignetur. Salvam faciat Deus Ill^{mam} Dom. Vram ex omnibus 10 persequentibus eam. Dat. Lond. 23 Novemb. 1612.

Ill^{mae} Dom. Vrae addictissimus

Georgius Birckedus, Angliae Archip~~ter~~ indignus.

Ad Ill^{mum} Card. Bellarminum.

London. MSS. Archiv. Westmonast. (ad 1616) vol. XV p. 477.

15 (alia redactio) Ill^{me} et R^{me} Domine.

Ad me perlatae sunt literae Ill^{mae} D.V. mense octobri scriptae, quae sicut mihi magnam atulerunt consolationem, quod vir tantus non solum mihi literas dare, verum etiam procuratori meo fidem adhibere voluerit: ita cum asserit librum se composuisse ad refel-
20 lendum Rogerum Widdringtonum, tum animi robore maiori in hac nos-
tra causa tuenda confirmor, tum permagna et insolita etiam affi-
cior laetitia. Placuit nobis liber vester adversus Barclaium; uti-
nam et iste ad nos tandem perveniat, et Widdringtonum et alii tri-
umphare desinant: ita enim se gerunt, ac si vobis victis, ab illis
25 reportata esset victoria. Iam nuper etiam minor Barclaius librum edidit pro defensione parentis: et aliis quidam nobilis Anglus no-
mine Barretus libro de iure regio scripto, vestram Ill^{mam} Dom. im-
pugnavit. Et revera ex nobis insuper plurimi tum religiosi, tum sa-
cerdotes seculares, tum et laici permulti, sententiam apostolicam
30 contra eiusmodi libros admirantur differri. Quod cum tanto fidei

3

/ praeiuditio fieri conspiciant, ne dolosa aliqua data fuerit infor-
matio, subverentur. Affligimur sane quotidie ob non praestitum hoc
iuramentum irrationaliter fidelitatis, idemque pro magistratu tanta
severitate exigitur, ut quamplurimi perterrefacti pro suis bonis
 5 conservandis, modificationibus quibusdam adhibitis, nullum omnino
peccatum in eodem praestando arbitrentur perpetrari: atque ideo
(confessariis non paucis renitentibus) precipites ruunt in grandem
contemptum apostolicorum brevium. Placuit (ut videtur) R^{mae} Dom.
Vestrae honorificentius de laboribus meis sentire; quos quidem ego
 10 (fateor) minime recusarem, si auctoritati illi
(quam ex corde veneror) gratos eos et acceptos esse cognoscerem.
Scio me indignum esse hoc munere quo fungor. Verum si potestas or-
dinaria in laicos viris idoneis data esset, ipsi eam procul dubio
magni facerent. Et haec certo una ratio est, qua maxime alliciuntur
 15 sacerdotes nostri suppliciter pontificem maximum obsecrare, ut epis-
copi nobis concedantur. Haec denique Ill^{mae} Dom. Vestrae tamquam uni
ex principibus ecclesiae suggestere visum est, ut pro sua prudentia
et eruditione praefatam nostram supplicationem apud suam S^{tem} promo-
vere dignetur. Longam vitam tribuat vobis Omnipotens Deus, et sal-
 20 vam faciat Ill^{mam} Dom. V. ex omnibus persequentibus eam. Dat. Londi-
ni 23 Novemb. 1612

Ill^{mae} Dominationi vestrae addictissimus

Georgius Birchedus Angliae Archipresb. indignus.